

unus instar est omnium. Victoriae navalis ergo, in unum diem supplicatio decreta est.

104. Item genitivum regunt adverbia superlativa ab adiectivis orta, ut: *Maxime omnium nobilium graecis litteris studuit.*

105. *Ubi, ubinam, ubicumque, abivis, quovis, quoquo, nusquam et longe*, genitivos terrarum gentium eleganter admittunt, ceu: *Quid ageres, ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem.*

106. *Pridie et postridie* genitivum vel accusativum petunt, ut: *Pridie huius die venit. Postridie ludos apollinares.*

107. Quaedam dandi casum petunt more eorum unde ducuntur, ut: *Non quaero quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. Platoni, sapientiae antistiti, Dionysius vittatam navem misit obviam.* (Nam congruens, conveniens et obvius, dativo gaudent.)

108. *Proprius, proxime, en et ecce*, accusandi casum exigunt. Ex. gr.: *Cur proprius urbem moventur? En crimen, ecce miseriam. Dux operam det ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit.*

En et ecce nominativo etiam interdum iunguntur, sed hoc nec rectio nec concordia dici potest, sed potius oratio quaedam per ellipsim deducta. *Ecce homo, idem est quod hic est homo, vel homo adest, vel ante te homo apparet.*

109. *Abhinc* verbis praeteriti temporis iunctum, accusativum seu ablativum postulat, ut: *Horum pater abhinc duo et viginti annos vel annis mortuus est.*

110. Adverbia comparativa ablativo casu gaudent, ut: *Nihil est quod tibi sapientius te ipso suadere possit. Lacryma nihil citius arescit.*

111. Interiectiones *hei* et *vae* dativo gaudent, ut: *Hei mihi! Vae tibi!*

112. *O, heu et proh*, accusativo adiunguntur, ut: *O me perditum! Heu me miserum! Proh Deum hominumque fidem.*

De interiectionibus *o, heu et proh* (quae etiam nominativo et vocativo haerent) idem sentiendum est

quod supra (num. 108) de adverbii *en et ecce* dictum fuit.

Quum *regularis constructio* seu *collocatio* verborum sit in latino sermone fere inusitata, haud necessarium nobis videtur de ea quidquam explanare. Ad versionem vero quod attinet, tyrones facillime hyperbaton displanabunt vocum significationem scite et accurate exquirendo.

PARS ALTERA

DE SYNTAXI FIGURATA

§ I.—DEFINITIO ET DIVISIO

113. Figurae sunt quaedam loquendi rationes, a trito et vulgari sermone remotae, quae ex animae affectionibus nascuntur et scriptorum usu fundantur.

Cum vero ea, partim in positione vel collocatione (*hyperbaton*), partim in additione (*pleonasmus*), partim in abiiectione (*ellipsis*), partim denique in commutatione vocum (*enallage*), solummodo consistent, nonnulla praecepta de singulis explanavimus, quamplurimis aliarum figurarum vel nominibus praetermissis, eo quod omnia in quatuor praedictis convertantur.

§ II.—DE HYPERBATO

114. *Hyperbaton* figura est qua ordo verborum rationalis perturbatur. Et quamquam is latinae linguae sit genius, ut in ea verborum ordo non tam arctis legibus adstringatur ac in aliis linguis, sequentia tamen observanda videntur, ut quis sit hac in re germanae

latinitatis indoles, tanto facilius possit intelligi. Itaque:

115. Vocativus non statim ad initio, sed plerumque post aliquot verba, nonnumquam etiam in posteriore periodi membro locum occupat. Ex. gr.: *Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturae leve, ac non satis dignum summorum virorum personis iudicent. Utrum difficilius, aut maius esset negare tibi saepius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi.* Ubi vocativus in postremum denique periodi membrum eleganter reiectus est.

116. Casus obliqui, si id sensus orationis ferat, eleganter nominativo praemittuntur. Ex. gr.: *Nec simulacro Iovis Olympici, aut statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent.*

117. Propositiones incidentes eleganter adiectivis et substantivis, aut certe reliquae orationi interseruntur. Ex. gr.: *Profecto quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum, ad Deos immortales benevolentia, fama extulimus.*

118. Idem tenendum est de ea propositione quae comparativos aut verba malo et praestat sequitur, quae enim eleganter comparativo aut certe verbo suo praemittitur. Ex. gr.: *Est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit.*

119. Propositiones conditionales nonnumquam eleganter reliquae orationi inseruntur. Ex. gr.: *Namque illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium persas dare potuisse.*

Eiusdem conditionis sunt formulae: *mihī crede, pro eo ac debui, pro tua sapientia, qua est animi perspicacia, qui est insignis tuus in nos amor, ut tum erant tempora, etc.* Ea enim omnia reliquae orationi inseruntur. Ex. gr.: *Finem nullum facio, mihī crede, Casii, de te et Bruto nostro, id est, de tota Republica, cogitandi. Posteaquam mihī renunciatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo ac debui, gra-*

viter molestique tuli. Patre usus est diligente, indulgente, et ut tum erant tempora, diti.

120. Coniugationum tempora ex participiis et verbo substantivo composita, pereleganter divelluntur et quaedam inter utraque inseruntur. Ex. gr.: *Nulla quaestio decreta a senatu fuit.*

121. Nec minor est orationis elegantia, si duo verba, quorum alterum ab altero regitur, eodem modo seiungantur. Ex. gr.: *In beneficiis collocandis aut mores spectari, aut fortuna solet.*

122. Comparativi, superlativi et verba longiora, elegantissime periodum claudunt. Ex. gr.: *Solent esse, quae minus exspectantur, laetiora. Hanc vitam rite beatam dixerimus: vestram vero laboriosissimam.*

123. Eleganter quoque postremum in oratione locum occupant cassus obliqui a voce nemo. Ex. gr.: *Ego videor habere multos amicos, sed huius generis cuius et tu quaeris et res exigit, prope neminem.*

124. Adiectiva substantivis sive praeponas, sive postponas, perinde est. Pronomina tamen possessiva meus, tuus, suus, noster, vester, substantivis suis saepissime postponuntur.

125. Sin addatur praepositio cum suo casu, perinde erit, sive praeponas, sive postponas, dummodo prae-positionem cum casu suo inseras inter adiectivum et substantivum.

Versus et tenuis semper suis casibus postponuntur et plerumque cum, ceu: tecum, secum, vobiscum.

126. Inter adiectivum et substantivum aliquid interponere solere Latinos, iam valde notum est. (Providendum tamen, ne interpositio ista sensum turbet aut affectationis aliquid redoleat) Ex. gr.: *Quem quidem adeo sua cepit humanitate.* At si dixeris: *adeo sua quidem quem humanitate cepit,* nulla amplius erit orationis venustas.

127. Verba *inquit* et *ait*, semper post verba nonnulla, alienae inseruntur orationi. Ex. gr.: *Cui quum persuadere tentaret, noli, oro te, inquit Pomponius, adversus eos me velle ducere, cum quibus, ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.*

128. In ordine et collocatione vocum quam maxime etiam cavenda sunt similiter cadentia vel *consonantia*, quae vix fert subtile romanarum aurium iudicium. Sic statim aures offenderet haec: *non aliquo timore, sed partim dolore*. Ast elegantius Cicero: *Diuturni silentii quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia finem hodiernus dies attulit*. Si ergo transponas quaedam vocabula, facile hoc vitium cavebis.

§ III.—DE PLEONASMO

129. *Pleonasmus* figura est qua verba adduntur sermoni non quidem necessaria, quae tamen maximam vim et venustatem orationi conferunt. Regulae potiores hae sunt:

130. Initio periodi saepe ponitur *ego*, quod alias omitti posset, et tunc ei additur *vero*. Ex. gr.: *Ego vero, Servi, vellem in meo gravissimo casu adfuisses*.

131. Quoties de nobis ipsis loquimur, modestiae causa addimus *quidem*. Ex. gr.: *Iam istud probius es, meo quidem animo, cum in amore temperes*.

132. Superlativis eleganter adduntur adverbia *quam, longe, multo, vel*. Ex. gr.: *Longe audacissimus, multo iucundissima. Quam occultissime traiecto amni. Bellum gereremus cum tyranno, quam qui unquam saevissimo et violentissimo in suos*.

133. Eleganter quoque iisdem superlativis additur *quisque*. Ex. gr.: *Trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur*.

134. Comparativis quoque non sine elegantia addes ablativos *iusto, solito, dicto, spe, opinione*. Ex. gr.: *Opinione omnium maiorem cepi dolorem*. Talia etiam sunt: *Laude mea maior, cogitatione celerior, Euro velocior, corvo vivacior*, quae non tam ad verborum elegantiam quam ad cogitandi et comparandi facilitatem pertinent et proverbii vim habent.

135. Verbis quae *spem* vel *opinionem* denotant, latini eleganter addunt *fore* vel *futurum esse*, sequente vel *qui*, vel *ut*, cum praesente vel imperfecto sub-

iunctivi. Ex. gr.: *Non dubito, fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturae leve, et non satis dignum summorum virorum personis iudicent*.

136. Eandem prae se elegantiam ferunt formulae, *accidii, fit, factum est, futurum est*, quae verbis additae, eventum vel consequentiam indicant. Sufficeret sane si diceres: *Putaresne mihi unquam verba deesse posse?* Sed elegantius Cicero: *Putaresne unquam accidere posse ut mihi verba deessent?*

137. Quaestio *quid* vel *cur* eleganter augetur formula veteribus frequentissima: *quid est quod*. Ex. gr.: *Quibus subtractis, quid est quod delectare non possit?*

138. Nominibus propriis obscurae formae, additur *quidam*. Ex. gr.: *Quidam Lamestius, homo petulans et ingratus*.

139. Coniunctionibus *si* et *nisi* saepe praemittitur *quod*. Ex. gr.: *Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, romanos videtur superare potuisse*.

140. Similis pleonasmus est in sequentibus: *Id quod, pro quod; ut ne, pro ne*. Ex. gr.: *Existimans, id quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurum*.

141. Emphaseos causa adiectivis aequae ac substantivis eleganter additur *isque*. Ex. gr.: *Filium habeo, eumque unicum. Pansa, isque consul, non erubuit declamare*.

142. Verbo saepe iungitur participium, tamquam consequenti antecedens. *Quum relatam legerint. Relatum est* antecedens; *legerint* consequens. Suffecisset alterutrum, sed utrumque iungitur elegantius.

143. Interrogationibus eleganter additur: *quaeso, obsecro, amabo*, aut si ex ira procedunt, *malum*. Ex. gr.: *Quaeso quid de te tantum meruisti?*

§ IV.—DE ELLIPSI

144. *Ellipsis* est omissio verborum sine quibus licet oratio integra non sit, decora tamen, valida, et

dilucida evadit. Ratio etenim ipsa quamplura nos intelligere cogit quae, si apponerentur, latinitatis venustatem disturbarent aut sensum dubium facerent.

Ellipseos igitur digniora praecepta sunt quae sequuntur:

145. *Aliquis, aliquando, alicubi* priores syllabas *ali* saepe amittunt post coniunctiones *si, ne, nisi, quum, num, quo, quanto*. Ex. gr.: *Si quid est in me ingenii. Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Sicubi hostis futurus est.*

146. Totum pronomen *aliquis* abiicitur si sequatur relativum *qui*. Ex. gr.: *Fuere, ea tempestate* (subintelligitur *aliqui*), *qui dicerent. Est quod te velim. Est de quo tecum confabuler. Non est quod gratias agas.*

147. Frequenter etiam omittuntur substantiva *locus, tempus, occasio*. Ex. gr.: *Non est (locus) ubi pedem ponam. Erat (tempus) quando serio istiusmodi agebantur. Habes (occasionem) ubi ostentes illam praeclaram eloquentiam tuam.*

148. Frequentissima est omissio coniunctionum *ut et ne*. Ex. gr.: *Fac venias. Hae curae tibi sint precor. Cave existimes. Bonus homo sis oportet.*

149. Fere semper abiiciuntur pronomina personalia nominativi, et plerumque accusativos *me, te, se*, quamvis suppositum in se agat. Ex. gr.: *Nox praecipitat (se). Bene habet (se).*

150. Nihil frequentius substantiva et participia instar substantivorum usurpare. Ex. gr.: *Adolescens, servus* (subintelligitur *homo*). *Ianuaris* (*mensis*). *Usque ad senectam* (*aetatem*).

151. Omittuntur etiam, aliis rationibus, substantiva, verba et aliquae praepositiones, ut: *Paucis te volo*, id est: *Paucis verbis te (loqui) volo. Quid plura? (verba). Satim salvae?* pro *Satisne salvae sunt res? Intelligenti pauca*, hoc est: *Intelligenti pauca ad percipiendum verba sufficiunt.*

§ V.—DE ENALLAGE

152. *Enallage* figura est qua pars una orationis pro alia ponitur: ut *vivere pro vita, nullus pro non, facto*

pro fieri. Ex. gr.: *Quam turpis est assentatio, cum vivere ipsum turpe sit nobis. Philotimus..... nullius venit. Ita facto opus est, pro fieri. Horrendum stridens, pro horrende.*

153. Sunt et alia adiectiva, quae pro adverbis ponuntur, ceu *recens, sublime, frequens*, ut: *Inde Romanam recens conditam cum magna clientum manu commigravit. Ea scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Venio in senatum frequens. Sic torrum, horrendum* et alia in genus apud poetas. Adiectivum interdum loco interiectionis indignantis ponitur, ceu: *Quae, malum, ista fuit amentia?* Contra, adverbium nonnumquam partes nomini agi, ut: *Bene sit tibi*. Sic *satis, abunde, parum*, de quibus in rectione adverbii dictum est. Denique, verbum loco interiectionis blandientis ponitur. Ex. gr.: *Amabo te, incumbe in eam rem.*

154. Perfectum subiunctivi pro futuro perfecto indicativi: *Quis mihi igitur drachmam reddet, si dederim tibi? Si te inde exemerim, ego pro te molam.*

155. Futurum imperfectum indicativi pro praesenti subiunctivi, post optandi particulas, ceu: *Ita me dii amabunt (ament).*

156. Perfectum subiunctivi in sententia cum dubitatione enuntiata: *Quis Martem tunica tectum adamantina digne scripserit? id est, scribere possit? Nec facile dixerim, qua id aetate coeperit. Ego enim ipse cum eodem ipso (Platone) non invitus erraverim. Huc spectant praemonitiones illae, ut ita dixerim, pace tua dixerim, etc. Haec et alia in loco usurpata ornamentum addunt orationi, et atticam urbanitatem redolent.*